

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

78. Emendatio Temporis

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

olea docebit? B. Vtique, nam ut Lauri bona complexio te optimæ rationis commonefacit, ita oleæ succus iustam liberalitatem suadet, Buxi spissitudo fortem constantiam commendat, & Palmæ æquabilitas temperantiæ mixturam suppeditat, quæ sane virtutum quadriga, nunquam nõ ad beatæ & semper viridis tranquillitatis stabilitamentum evchet. A. Quis credat, id sibi velle laurum tuum, aut palmam, nisi tecum divinetur? B. Sane & alia multa: nam quo attentius creaturatum signaturas intuemur, eò profundius Divinæ Sapientiæ immergimur. A. O te beatum, cui duplex rerum delectatio, terrena una, altera cœlica! B. Potius multiplex; sed dum tu rides, & rudis, apparet, nõ aliud quam brutum esse, quod floribus, pictoque gramine immissum, nec oculis, nec naribus voluptatem capit, sed alia quidem conculcat, alia depascit.

### 78. EMENDATIO TEMPORIS.

A. **E** Mendemus in melius. B. Quid cantilanas? A. Quid tu insidiaris? ego hic mecueram. B. Anne cum viro bono? A. Crede; quis enim hæc negare improbus ausit? Mihi vero haud frustra illa cantio in mentem venit. B. An emendabas tui aliquid? A. Non a depolmei tantum, sed quod quod tempus irregulariter effluit. B. Quid Phœnix ille Scaliger, nihil temporis emendatione iuvat? A. Parum huc est. B. Suslega igitur quadriennium addat, aut inge-

EMENDATIO TEMPORIS. 145

ingeniosissimus Keplerus quinquennium. *A.* Alios volo calculos. *B.* Anne Calculatorem ipsū Suisset, posteritatis gorgonium nodum? *A.* Nil illimecum. *B.* Vis ne Brocardus tibi seculum restauret, aut Eo sacrum imperium denunciet? *A.* Supra me sunt. *B.* Anne verò institutionis literariæ emendationem expectas, qualem Hutterus promissit, Raticius exhibuit. *A.* Ne id quidem hîc juvat. *B.* Quid Vietæ admirabilis algebra, aut Neperi Logarithmi mirifici, anne profunda tua eruent? *A.* Plus obnubilant. *B.* Fortè Hispanicam Monarchiam speras, quam Iesuitæ somniant? *A.* Ultra Danielis quarernarium est. *B.* Non ausim tibi Iudæorū expectationem obijcere, quorū Messîæ omnia emendanda servantur: nec Fraternalitatis nostræ mirificæ prægrandes fabulas, quibus orbē restaurare insulsiſsimè miniratur. *A.* Apage, res mea tanto apparatu haud indiget. *B.* Cuius tandem temporis emendationem desideras? *A.* Dicam, sed cum bona tua venia si forte quondam his laqueis fuisti districtus. *B.* Accipe veniam. *A.* Primum id temporis emendatum velim, quod in literulas, vocabula, distinctiones, virgulas, clausulas, & id genus ineptias haud rarò à crepundijs ad lippitudinem usq; ac delirium infumitur; dein quicquid Chymicorū plebs coquendo, recoquendoque, sufflando, ac paulo post mentiendo, mendicandoque miserè comburit: postea quicquid aulica expectatione, sollicitatione, meritis, servitijs simulatione, dissimulatione, perit, & auris somniis prodigitur: deniq; quicquid futuri indagacioni, divinationibus,

G nibus,

nibus prognosticis, genituris, eabalæ, sigillis numeris mysticis anxie tribuitur, quibus ego red-ditos annos velim pessimè hætenus transmis-sos, at poenitentia posthac, pudore & seriis labo-ribus transigendos. *B.* Nihil te pèrennis mobi-lis fabricatorum miseret? *A.* Nescio quàm co-natus ille displicere mihi non potest, si vanitas & temeritas (artificibus valde propriæ) absint, at e-go si tales omnes emendatos velim, quantus fiet catalogus? *B.* Saltem Mulieres non omitten-dæ erant, quibus tempus omne corporis cultu interit. *A.* Potius uniuersum genus humanum deploremus, quod in tanta temporis penuria, & vitæ breuitate, plæraque dat fabulis, nugis, va-nitati, minimum sibi, nihil prope Deo.

## 79. NOVA REPERTA.

*A.* O Seculum eruditum! *B.* O seculum impiu!  
*A.* O seculum ingeniosum! *B.* O seculum  
vanum! *A.* Culpare desine. *B.* Laudare cave.  
*A.* Cogit veritas. *B.* Prohibet pietas. *A.* Artes  
prestant. *B.* Peccata clamant. *A.* Ingenia assur-  
gunt. *B.* Religio deprimitur. *A.* Evangelium  
viget. *B.* Christus expellitur. *A.* Politia floret.  
*B.* Boni gemunt. *A.* Desine, & ad æquam secu-  
lorum comparationem mecum descende. *B.* Quo  
evidentius huius nostri infœlicitas appareat? *A.*  
Anne tibi nominabo, quæ huius sæculi egregia  
reperita sint? *B.* Ut lubet. *A.* Non novum or-  
bem nominabo, magna veterum infamia inco-  
gnitum,